

num multitudinem auctoritas Pontificis, si is, non secus ac alii cives, ad laica tribunalia traduceretur, si a laica potestate poenis multaretur. Haec enim est ratio communis cogitandi ut non existimetur habere dignitatem et auctoritatem excellentiorem aliis is qui ab iisdem iudicatur et punitur: unde communi hominum consensu excellentiores in societate quodam privilegio fori gaudent. Ut ergo debitus honor Pontifici deferatur, subiectus is esse non debet auctoritati Principum, quibus ipse praestat auctoritate. Item tranquillitas regiminis ecclesiastici non foret stabilis per se, h. e. ex intrinseca virtute auctoritatis; penderet enim tranquillitas ab extrinseca voluntate quoque Principis, qui Pontificem cogere et eius actiones impedire posset, et quamvis id non faceret, tamen cum vellet facere posset, et cum eius voluntas mutabilis sit, semper velle poterit: unde per accidens tantum tranquillitas regiminis obtineretur. Item spectata inordinatione humanarum voluntatum, fieri non posset ut Pontifex subditus gauderet plena et perenni libertate docendi, ferendi leges, et puniendi: morali enim necessitate, propter corruptionem naturae, eveniret ut Principes auctoritati suae nimium studentes vellent prohibere Pontificem ab iis quae sibi non placent. Unde neque ea probabilis exceptio contra non spontaneum exercitium Pontificiae auctoritatis excluderetur. Et quia natio quaevis adversatur civiliter iis omnibus, qui ad inimicam pertinent nationem; Ecclesiae Caput evaderet frequenter obiectum aversionis eorum Christianorum, qui cum suo Principe bellum gererent, suaeque decreta, quae forte non placerent, suspicionem laborarent quod in gratiam Principis sui edita sint: et ideo contemptui obnoxia forent. Ergo utilitas Ecclesiae, sive ut bene sit Ecclesia exposcit immunitatem Capitis sui (Cf. Allocut. Pii IX *Quibus quantisque* 20 April. 1849).

Hinc statim ac Ecclesiae pax a Constantino reddita est, Romanus Pontifex immunitatem actualem nactus est, nec ea violata est aliquando nisi cum detrimento Ecclesiae: et quamvis Pontifex revereretur adhuc Imperatorem, nunquam tamen apparet ipsum vi coactivae legum imperialium habitum fuisse iuridice obnoxium.

Et sane, quod heic innuisse sufficiat, Romanus Pontifex auctor fuit Imperii occidentalis, cuius ius contulit Carolo Magno (cf. Bellarm. De Translat. Imperii Romani L. I); idemque auctor fuit illius iuris quo communiter ea aetate civilis societas regebatur, ut catholico populo catholicus et Ecclesiae obediens imperaret: haec porro arguunt Pontificem expeditum tunc fuisse a quavis subiectione coactiva laicae potestatis.

Ex dictis liquet exercitium huius iuris seu potestatis moralis esse de iure seu praecepto divino naturali secundario; quia non est ab-

solute necessarium Ecclesiae, ut nempe Ecclesia quoad suam essentiam sit; sed secundum quid, ut nimirum ea bene et perfecte sit.

VI. Si spectetur id quod requiritur ad essentiam immunitatis in actu quoque secundo, patet eam esse posse sine Principatu, si Princeps, in cuius territorio sit Romanus Pontifex, eius independentiam admittat, ideoque nihil sibi vindicet in ipsum, certumque evadat sive ex perspecta pietate Principis, sive ex pactis initis cum nationibus christianis, sive alio modo quod Princeps nullum unquam ius sibi sit vindicaturus in Rom. Pontificem. Sic enim Romanus Pontifex immunitate frueretur, non obnoxius iure neque actu potestati coactivae alterius: non esset scilicet subditus; nec tamen foret Rex quod amplius est. Verum si consideretur 1° Principes, vel quicumque sint suprema aucti potestate civili, pronos admodum esse ad amplificandum dominium suum: 2° quicumque sit iugiter in territorio alicuius regis connumerari cum ceteris eius subditis, et inter eos aliqua ratione censerentur; cum ratio cur hi subditi sint huius, sit quia in eius territorio sunt: 3° exemptionem Romani Pontificis habituram in hac hypothesi rationem privilegii quoad exercitium concessi a voluntate principis: 4° Principes eos esse quibus a Romano Pontifice praeciipienda sint non infrequenter ea quae iisdem non placent: idcirco 5° proximum periculum tunc semper exstiturum, ne, si Romanus Pontifex suo officio deesse nolit, Princeps potestate sua physica abutatur, impediatque exercitium Primatus, vel ne suspicentur ceteri Romanum Pontificem gratificari eidem Principi excipiantque contra leges ab eo latas, si aliis nationibus minus placeat quod vel vi coactus vel gratia allectus Principis Pontifex aliquando decreverit: si haec, inquam, considerentur, manifestum erit immunitatem Pontificis nec tutam stabilemque ex sese, nec fini suo satis conducere posse, si Pontifex careat Principatu.

Iam vero ut demonstremus quod in Thesi subiicimus, advertimus duplicem quaestionem fieri posse 1° an legitimus sit hic principatus: 2° an sit necessarius, aut utilis. Priorem quaestionem non agimus, relinquentes eam iurisperitis; ideoque supponimus acquisitionem et possessionem Principatus civilis Romani Pontificis legitimam fuisse et esse, ratione habita legum humanarum. Deinde advertimus illud dici institutum providente Deo, vel singulari consilio divinae Providentiae quod mediantibus quidem naturalibus causis divina Providentia non solum permittit sed intendit sapientique ratione assequitur. Hoc posito sic arguimus: singulari consilio divinae Providentiae referenda est in acceptis ea institutio quae efficaci modo ac suavissimo obtinetur, et quae cum bona in se sit ad finem intentum a divina Providentia vel maxime, vel unice ratione habita historicorum adiun-

ctorum conducit: atqui talis est institutio Principatus civilis Romani Pontificis; ergo. Maior patet tum quia proprium est divinae Providentiae efficaciter simul et suaviter, utpote omnium causarum dominae, finem suum assequi, tum quia quod bonum est, et ad finem intentum conducit, non permissum sed volitum a divina Providentia dicendum est. Minor autem probatur, et primo quidem eo quod efficacia et suavitas praeclarissime splendescunt in institutione Principatus civilis, qui sine vi et fraude, ipsis causis naturalibus iuvantibus, rerumque ordine veluti efflagitante sensim sine sensu adolevit, suamque firmitatem omnibus consentientibus nactus est. Quod autem secundo per ipsum *maxime* h. e. perfectiori modo obtineatur finis, qui est independentia Pontificis eiusque plena libertas, et ita perfecta, quoad hoc caput, administratio Reipublicae Christianae, id est per se evidens. Quare etsi non unice conduceret ad finem intentum a divina Providentia Principatus civilis, illud satis esset ut diceretur iste Principatus romanus singulari consilio divinae Providentiae esse institutus. Verum cum affirmatur Principatum civilem esse institutum providente Deo, sive singulari consilio Dei, illud quoque spectatur, quod nempe ipse sit medium necessarium ad finem quem Providentia intendit: non quidem per se seu absolute, sed ratione habita certorum adiunctorum ita ut ipse in iis adiunctis unice valeat. Scilicet finis est ut Ecclesia vitam suam socialem non solum agat, sed *perfecte* agat, fruatur proinde Romanus Pontifex plena libertate, pax Ecclesiastici regiminis sit ex se stabilis, cum omnibus fidelibus ita libere communicet Pontifex, ut certo constare possit omnibus decreta eius sponte ab ipso procedere, eique omnes plenam fiduciam et observantiam praestent. Atqui si res historice spectetur, et habeatur proinde ratio morum, quibus regi solent humanae societates, affirmari generatim potest quod difficile prorsus seu moraliter impossibile sit, ut haec bona obtineantur, sepositis miraculis, si Romanus Pontifex non sit Princeps. Id sequitur ex considerationibus superius adhibitis, quibus constat 1<sup>o</sup> quod qui rex non est, est subditus si non iure saltem facto, obnoxius scilicet vi superioris qui abuti semper potest facilisque est ad abutendum sua physica vi, quae repellere a Pontifice nequeat: constat proinde 2<sup>o</sup> nec integram multoque minus omni Ecclesiae certam fore libertatem Pontificis in exercitio sui Primatus: « Omnibus enim compertum est fideles populos, gentes, regna nunquam plenam fiduciam et observantiam esse praestitura Romano Pontifici, si illum alicuius Principis vel gubernii subiectum ac minime liberum esse conspicerent. Siquidem fideles populi et regna vehementer suspicari, ac vereri nunquam desinerent, ne Pontifex idem sua acta ad illius Principis, vel gubernii, in cuius

ditione versaretur, voluntatem conformaret, atque idcirco actis illis hoc pretextu saepe refragari non dubitarent. Et quidem dicant vel ipsi hostes civilis Principatus et Apostolicae Sedis, qui nunc Romae dominantur, quam fiducia et observantia ipsi essent excepturi monita, hortationes, mandata, constitutiones Summi Pontificis, cum illum cuiusvis Principis aut gubernii subditum esse agnoscerent, praesertim vero si cui subesset Principi, inter quem et Romanam ditio-nem diuturnum aliquod ageretur bellum? » ait Pius IX Alloc. cit. Ergo perfectio vitae socialis Ecclesiae postulat principatum civilem Rom. Pontificis.

Dices clericos, etsi sint in territorio regis, tamen per immunitatem non esse eius iurisdictioni coactivae subiectos: id utique verum est si ius consideretur, et Principes Ecclesiae praecipiente obedire velint: at verum est quoque 1) clericos adhuc esse subditos quadamtenus Regis, spectant enim ad corpus suae societatis, licet sint membra privilegiata, vique directiva legum tenentur, quas si transgrediantur, possunt et debent puniri a suo legitimo superiore: eosdemque, si actoris partem agant contra laicum, ad laicum tribunal adire debere: verum est 2) in clericos ita constitutos, indigentes auxilio Principum, et impares ad se defendendum contra eorum violentiam facile Principes auctoritatem illegitimam sibi vindicare: 3) violationem immunitatis ceterorum non ea universae Ecclesiae damna gignere quae oriri nata sunt ex violatione immunitatis capitis Ecclesiae, quae est immunitas totius Ecclesiae simul, non quorundam tantum suorum membrorum. Ergo quod de immunitate clericorum dictum est, non impedit quominus verum sit difficile esse ut immunitas Romani Pontificis sit et perduret si ipse Principatu careat; atque hunc necessarium esse ut ea sit in actu.

Itaque quoniam haec est conditio ordinaria humanae societatis ut moraliter impossibile sit plena sua independentia et libertate Romanum Pontificem actu gaudere, nisi Princeps sit; sequitur, ut quemadmodum ea necessaria est, et hic quoque sit necessarius, ac unice ad eam conducatur.

Dices nonne plura secula a Constantini aetate caruit Principatu Romana Sedes, seu cur ergo Deus statim ab initio illum non instituit?

Respondeo 1) divina Providentia, ut dicebamus, res suaviter disponit, et suum consilium exsequitur ordinarie per ipsas causas naturales: cum ergo Romanum imperium uni pareret; ut aliqua eius particula Romano Pontifici tribueretur, oportebat per humanas vicissitudines imperium Romanum dissociari, et partem eius legitime subduci a potestate Principis: tunc enim nullus legitimus praetextus

existere potuisset violati iuris, et tranquillissime possessione sua usus esset Romanus Pontifex. Id autem sensim sine sensu tandem seculo VIII perfectum est. 2) Interea tamen divina Providentia ita res moderata est, ut Romanus Pontifex liber in urbe Roma esset; et antequam omni specie regiae auctoritatis potiretur, iam a seculo V politica potestate utebatur (cf. Brunengo Origine della sovranità temporale del Papa. De Maistre du Pape L. II, c. 6). 3). Haec tamen conditio erat per se incerta, ac labilis et obnoxia mutationibus, atque transitoria erat h. e. ordinata a Deo ad firmiorem statum et perfectiorem obtinendum per principatum. Quare ineptum esset postulare ut rursus ad eam conditionem rediretur: « Singulari scilicet prorsus divinae Providentiae consilio factum est, ut Romano imperio in plura regna variasque ditiones diviso, Romanus Pontifex... civilem Principatum haberet » (Allocut. cit.). Cf. Card. Orsi Origine del potere temporale de' Papi.

VII. Quaeri solet cuiusmodi sit certitudo illius veritatis, quae asserta est hac aetate, de necessitate Principatus civilis Romani Pontificis. Quandoquidem ipse nexus est cum iure immunitatis, cuius est perfecta actuatio, et pro plena libertate Pontificis necessarius est, de omnibus singillatim dicendum est. Dicimus ergo 1) ius (non loquimur de facto) immunitatis personalis esse veritatem divinitus revelatam. Unde sequitur eam esse fide divina credendam. Assertio autem nostra ex discursu theologico procedit: unde nolumus dicere haereticos esse qui secus sentiant, nullaue alia censura sententiam oppositam notamus. Sane revelatum illud dicendum est quod analysi instituta veritatis revelatae, ope principii contradictionis in ea contentum reperitur; atqui in veritate Primatus veritas quoque continetur immunitatis et independentiae illum exercentis ab ulla alia potestate; contradictorium est enim posse Rom. Pontificem ligare et sic irritare actus potestatis alterius exercitos in ipsum, et eidem potestati subesse; ergo. Cf. II, 2 superius.

Idem dicendum de alia veritate, quod nempe Pontifex ius habeat ad media necessaria ut libertate sua plena uti possit: revelatum est enim Romanum Pontificem ius habere ad exercitium plenissimum suae auctoritatis; perinde est enim conferre auctoritatem et conferre hoc ius: atqui collato iure ad finem hoc ipso confertur ius ad media necessaria, ut qui affirmat ius esse ad finem eumque esse vult, hoc ipso affirmet ius esse ad media necessaria: ergo hoc quoque affirmatum est a Deo seu revelatum.

Quaenam autem sint huiusmodi media, quae plerumque ex diversis adiunctis et conditionibus dependent, in quibus Ecclesia versari potest, ea non opus fuit omnia singillatim revelari, sed relinqui

potuerunt determinationi Ecclesiae. Idque factum videtur quoad Principatum civilem. Ecclesia scilicet, quae scit se habere ius ad media necessaria pro pleno exercitio suae potestatis, illudque habere semper et pro quavis conditione humanae societatis, definire potest: his in adiunctis, ita se habentibus hominum moribus, necessarius est Pontifici Principatus civilis. Quanta ergo est certitudo huius veritatis? Supponendum est Ecclesiam (Proleg. XXI, V) posse sententiam infallibilem ferre non solum circa veritates revelatas, sed et circa alias veritates sive theoreticas sive practicas aut historicas quae cum dogmate sive theoretico sive practico connexionem habent. Porro huiusmodi est veritas illa. Nam dogma est Romanum Pontificem ius habere ad liberum exercitium plenae suae potestatis; praeceptumque est divinum, sive dogma practicum, debere fideles omnes potestatem hanc revereri, liberumque eius exercitium nunquam impedire: atqui ut id firmiter praestetur, constare debet cum certitudine quaenam sint media necessaria ad illud exercitium; si enim negetur necessitas alicuius medii, quod tamen reapse sit necessarium, periclitari potest in fidelibus fides ipsius dogmatis, iuris nempe ad liberum exercitium suae potestatis: nam si quis putet illud non esse necessarium, et posse sine ulla iniuria auferri Pontifici, nequit ille simul tenere Pontificem habere ius ad eam libertatem quam sine eo medio Pontifex reapse exercere nequit.

Iam vero auctoritati docentis respondet in discipulo fides, et auctoritati infallibili respondet fides certa et infallibilis. Quae idcirco non est tantum fides humana, nam innititur auctoritati magisterii divinitus instituti, et infallibilis: non est autem simpliciter fides divina, quia obiectum eius formale non est auctoritas Dei revelantis. Est ergo fides infallibilis innixa auctoritati magisterii divinitus instituti. Est autem fides debita: auctoritas enim magisterii Ecclesiae est auctoritas iurisdictionis, qua fides praecipitur; unde nec sufficit obsequiosum silentium; ut decrevit et declaravit Clemens XI Constit. *Vineam Domini*.

Porro certum est Romanum Pontificem plus semel, et cum eo universum Episcopatum sollemniter docuisse necessitatem Principatus civilis. Cf. praeter citatas, litteras Apostolicas Pii IX. *Cum Catholica* 20 Mart. 1860 Syllabum eiusdem propp. 75, 76.

#### Corollaria.

I. Ex disputatis in hoc artic. patet quam merito Ecclesia libertatem suam h. e. independentiam a civili auctoritate in rebus ecclesiasticis semper defenderit, omnique cura propugnaverit. Perinde est

enim potestatem se immiscere Ecclesiae regimini sibiue Ecclesiae iura subordinare ac Ecclesiam funditus perturbare, eiusque procurare interitum. Si enim Ecclesia subest auctoritati civili, iam non est societas quae regitur auctoritate Apostolica, iam non est regnum Christi quod in supernaturale bonum ordinatum est animarumque sanctitatem et salutem procurat; ideoque desinit esse Ecclesia Christi. Hinc summa contentione certatum est olim ne electiones Episcoporum penes arbitrium essent potestatis secularis. Quo enim secularis potestas in hoc conflictu spectabat nisi ut sibi regimen Ecclesiae subiiceret, cui ex libitu suo rectores dare volebat? Non est profecto independens sed serva ea societas quae rectores suos ab alia accipere debet: nec alii quam Ecclesiae summoque Pontifici in primis Christus ius contulit constituendi pastores pro ovibus suis. Quod ius cum Ecclesia tueretur, quod officii sui est exsequatur, nec honoris aut excellentiae cupidine sed obedientia erga Deum et amore erga humanum genus movebatur, cuius maxime imo unice interest ut in viam salutis dirigatur, dirigatur autem ab iis qui solum valent hoc fungi munere, cuiusmodi illi tantum sunt qui auctoritate accepta ab iis qui Apostolis succedunt in eandem seriem successionis legitime adsciscuntur; his enim solis suam auctoritatem Christus commendavit, ut diximus in Proleg. §. XXVI.

II. Ex his etiam constat quam impie et ridicule sibi olim Reges Siciliae ius assererent legationis Apostolicae contradicente Romana Sede. Praeterquamquod enim ius quod sibi illi Reges vindicabant, nunquam ipsis collatum est, ut invicte demonstravit in suis Annalibus Card. Baronius ad an. 1097, neque poterat conferri vetante id iure divino; ridiculum prorsus erat aliquem velle esse legatum Principis contradicente ipso Principe, atque huiusmodi legatum agere auctoritate delegata contra voluntatem et leges Pontificis delegantis, velleque eius nomine iurisdictionem exercere qui negabat se eam dedisse, dare aut dare posse, actusque omnes personati legati irritabat. Vel enim illi boni Reges credebant Primatum Rom. Pontificis, vel non credebant: si non credebant, unde eis tanta iurisdiclio quam titulo legationis se obtinuisse a solo Rom. Pontifice profitebantur? non nisi enim vi plenitudinis potestatis potuisset ea conferri, si talis collatio fuisset possibilis. Si vero credebant, quoniam iura Primatus divinitus instituti nulla ratione imminui possunt, aut alienari, officiumque et ius habet quilibet Rom. Pontifex abrogandi omnes leges omniaque privilegia a se vel suis successoribus concessa quae ipse censeat nociva aut minus utilia Ecclesiae: et quia Ecclesiae divinae constitutioni repugnat ut auctoritate laica regatur; manifestum est quod non nisi per summam impietatem aut crassissimam ignoran-

tiam fieri potuit ut contradicente et obnitente Romano Pontifice quidam vellent in negotiis ecclesiasticis eius esse legati, eiusque delegata auctoritate contra ipsum uti. Cf. SS. Pii IX litteras Apostolicas: *Suprema* datas ann. 1864. V Kalendas Februarias.

## CAPUT II.

### DE INFALLIBILI MAGISTERIO ROM. PONTIFICIS

#### PRAENOTIONES

I. Iam probavimus Ecclesiam universam infallibilem esse, ac statimus infallibilitatem universae Ecclesiae per magisterium infallibile obtineri (§. XXI). Qua in re recolenda est distinctio quam dedimus (ibid.): nimirum si habeatur ratio causae finis, prior est infallibilitas totius Ecclesiae quam infallibilitas cuiusque magisterii, ipsa est enim finis propter quem existit magisterium infallibile, ideoque ipsa est primum intenta a Deo. Quae quidem Ecclesiae universae infallibilitas est secundum essentiam vera infallibilitas: in eo enim sita est quod professio fidei communis universae Ecclesiae sit immunis ab errore, sitque necessario talis propter assistentiam Spiritus S.: atqui hi sunt characteres infallibilitatis; huc enim redit eius definitio (§. XXI). Quocirca quaecumque sit causa proxima huius infallibilitatis, ipse fidelium universus coetus in sua professione fidei est *formaliter* infallibilis. Si vero ratio habeatur causalitatis efficientis, prior est infallibilitas magisterii quam totius coetus, illud enim est principium efficax infallibilitatis Ecclesiae. Quo factum est ut infallibilitas magistrorum seu Ecclesiae docentis diceretur *activa*, ceterorum discipulorum seu Ecclesiae discentis *passiva*. Nunc autem de infallibilitate activa tantum disputamus: et quoniam vidimus generatim eam magisterio competere, modo quaestio distinctior instituitur de subiecto eiusdem magisterii infallibilis.

Constat quidem voluisse Christum ut quos Pastores in Ecclesia sua posuit, iidem testes essent atque doctores authentici, qui verbum Dei revelatum ab hominibus credendum praedicarent, custodirent, ac perpetuo propagarent: qua de re in Tract. de Traditione. Pariter vero constat voluisse Christum ut praeter singulares cathedras magisterii in singulis Ecclesiis unum esset magisterium universale pro tota Ecclesia; magisterium scilicet quod ad universam Ecclesiam auctoritate sua se porrigeret, cui universa Ecclesia parere teneretur. Existentia huius magisterii quoad suam efficaciam universalis patet ex ipso fine institutionis et oeconomia a Christo adhibita pro hoc fine obtinendo: finis enim est unitas totius Ecclesiae in vera fide,